dolorum vehementiam insomnes, ejulatu transactæ: inquietudo maxima. Ordinatur:

℞. Sal. ammoniac depur. drach. unam.
Solve in
Aq. flor. sambuc. unc. sex.
Roob ejusdem unc. dimidiam.
Mellis optim. unc. unam.
M. D.
S. Capiat omni bihorio cochl. duo.

Diæta plena; pro potu decoctum Specier. ordinarium.

Sub Vesperum exacerbatio insignis cum dolorum augmento.

Die 17ma. Somnus plane nullus; æger per brevia intervalla sopore detentus lenia exhibuit deliria. Tumor ad articulos, præcipue manus sinistræ et volumine et rubore auctus. Cetera eadem; alvus sponte secessit. Hesterna medicamina. Ad Vesperum exacerbatio; pulsus fortes, frequentes ac fere subduri. Continuentur medicamina.

Die 18va. Eadem de nocte, ac heri, conditio. Tumor manum quoque dextram corripuit, eandem, ac in sinistra, regionem occupans, cum iisdem doloribus ac motus impotentia. Pedum ac reliquorum symptomatum eadem facies: hesterna medicamina.

Vespere. Pulsus subduri, frequentiores; respiratio brevis ex profundo instituta; doloris lancinantis et oppressionis in anteriore thoracis parte sensus molestissimus. Continuentur medicamina.

Die 19na. Nox insomnis. Vehementia dolorum artus obsidentium, respirationis difficul-

UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK HEIDELBERG http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/annales_instituti_medico_clinici_wirceburgensis1801/0123
© Universitätsbibliothek Heidelberg
gefördert durch die DFG